



O T H O iunior, siue Otho huius nominis secundus, superioris Othonis filius, patri Romanorum Imperatori succedit anno mundi 4935. à Christo nato 973. attamē à patre iam ante sex annos fuerat Imperator creatus: cuius etiam opera Saracenos, Græcosque Calabria expulerat. Hic mortuo patre Henricum Bauariæ Ducem nouis rebus studentem, debellauit: atque aduersus Lotarium Francorum Regem, qui sibi Lotaringiam asserebat, Galliam ingressus, fœdis populationibus eam vastauit. At dum reuertitur, in Axonę fluuij transitu graui incommodo à Francis afficitur, quibusdam ex suis militibus vorticibus absorptis, pluribus ab insequente hoste interfectis. Dum in Italiam festinat ad famam Græcorum principum, qui Saraceno etiam milite instructi Italiam sibi vendicabant, vincitur: ac scapha conscensa, à piratis captus, in Siciliam ducitur: liberatus, omnem in Beneuentanos iram, quòd signa deseruissent, effundit: ciuitatem capit, spoliat, incendit. Tandem fato concessit, cum imperasset solus post patrem annos decem. Consulito Blond. lib. 3. Deca. 2. Egna. lib. 3. Ab. Vrsper.

T H E O P H A N I A vxor huius Othonis secūdi filia fuit, Nicephori Græcorum Imperatoris, quem regno pulsum, restituit, & confirmauit Otho. Vide Sup. Chro. lib. 12.